

1351

CODICES

1352

tatur, M. Pauli (Leubman) de Mellico Theol. et A. L. Doctoris, Decani et Canonici Vien. extincti a. 1479. praemisso Operis Elencho hunc exhibet Titulum: *Incipit dyalogus qui vocatur scrutinium scripturarum compositus per Reverendum p. dominum Paulum de sancta Maria magistrum in theologia episcopum Burgen. Archicancellarium Serenissimi principis domini Jo. regis castelle et legionis quem composuit post addiciones per eum compositas ad postillam nicolai (de Lira) Anno domini M^o CCCC^o XXX⁴ etatis uero sue anno LXXXI. Idem paene repetitur ad calcem Operis, de quo egi Vol. super. P. II. Atque hae Hederae etiam primis ejus Editionibus adpenfae sunt.*

Fol. 229. sequitur Conspectus omnium Capitem V. T. hoc rubro: *Incipiunt tituli in libro genesis. Ad calcem minio: Expliciunt sententiae 2ⁱ libri Machabeorum, in hoc finitur vetus testamentum, et hoc registrum Biblie pro studentibus pauperibus valet. Certe illo tempore, quo Ars imprimendi Librorum pretium nondum immiuerat. Quod non perpendunt, qui de neglectu sacrarum literarum illius aevi paratragediant.*

DCI.

R. 46 Codex chartaceus germ. Sec. XVIII. Folior. 35. 4. Scriptum polemicum est Job. Ernesti Perring Pragensis aetatis anno 11. ab Iudaismo ad Sacra Christ. Catholica transgressi nullo anni, quo il-

lud concinnavit, indicio. Capitibus XVII. definitur, agitque primum de Praeceptis Decalogi, tum de praecipuis Fidei Christianae Articulis, ostendendo, quomodo illa a Iudaeis parum cognoscantur, et obseruentur, hi vero contentui et odio habeantur. Non pauca de illorum tanguntur Ritibus, congesta ex aliorum Περσικων Scriptis, ut videtur, quid enim Puer undennis Hebraeus apud Sues discere aut soleat, aut possit, novimus. Multa praeterea, ad captandam fortasse Hospitum benevolentiam, exaggerata sunt. Accedunt Mantissae loco Excerpta e noto Sam. Frid. Brentii Libro, qui inscribitur: *Der jüdische abgestreifte Schlangenbalg*, et lucem vidit Norimb. 1614. impugnatus a Sal. Zevi, et defensus a Job. Wulfero.

DCII.

Codex chartaceus hisp. Sec. R. 34 XVII. Folior. 232. f. hunc jaetat titulum: *Obras del Doctor Ysbach Orobio de Castro Alias Don Balthasar Catedratico de Metaphisica y Medicina en las Vniuersidades de Alcalá y Seuilla Medico de la Camara del Duque de Medinaceli y de la Familia de Borgoña del Rey Pbelipe quarto, professor Publico del Rey de Francia, en la ynsigne Ciudad de tolosa y su consejero Mayor. Non dubito eundem esse Codicem, qui voeniit a. 1715. Hagae Comit. cum Bibliotheca Sarraziana, ita omnia, quae de eo in ejus Bibl. Catalogo p. 21.*

21. n. 180. dicuntur, ipsum Corium turc. ipsa deauratio Exemplari nostro conveniunt. Redemerit illud *Fidel. Ant. de Cardona* Archiep. *Valentinus*, cum cujus Bibliotheca a. 1724. in Palatinam immigravit. Si *Catalogum* mox citat. audias, *Manuscriptum* est pretiosissimum, cujusque *Apo-grapha curiosorum instantiis constanter fuerunt denegata*. Itaque, qui illud memorant, *J. Alb. Fabricius* in *Delectu Argumentor. et Syllabo Scriptor. de Verit. Relig. Christ.* p. 614. et *J. Cph. Wolfius* in *Bibl. Hebr. Vol. III. p. 552.* non nisi ad *Bibliothecam Sarraz.* adpellant. Si his Autoribus addideris *Philippi a Limborch Historiam Inquist.* pp. 158. 159. 323. *Job. Clerici Bibliothecae Univers.* ad an. 1687. T. VII. p. 289. *Jac. Basnagii Hist. des Juifs* T. IX. p. 1041. *Jac. Ge. Chaussepé* Suppl. *Di&. Baeliani* lit. O. habebis paene omnia, quae de *Isaaci*, seu *Balth. Orobi* Vita, Scriptisque ad nos pervenere; tacet enim de eo *Nic. Antonii Bibliotheca Hisp. Nova*, etiam secundis curis 1783. edita, quod mirum. Mirum vero etiam, *Parentes Nostri*, siquidem *Judaei* erant, et professionem *Christianismi* tantummodo simulabant, neglexisse ejus circumcisionem, cui demum *Amstelædami* se subjecerit; mirum, nunquam ab eo literis consignata tormenta illa, quae in carcere *Inquisitionis* sustinuerit, sed narrata tantum *Philippo Limburgio*, unde *Clericus* cit. p. 290. *On souhaiteroit qu'il l'eût écrite; mi-*

rum, exantlatis his tormentis non illico petiisse *Orobium Batavos*, sed *Galliae* se publicoque *Tolosae* Professoris muneri credidisse, ut adeo suspicari quis possit, *Limburgium* narrationibus *Apellae* plus justo tribuisse. Quin et *Tituli* supra exscripti ampullae *Judaeo* cuidam *Hollandico* imputandae videntur. Autores supracit. *Salmanticae*, non *Compluti* *Metaphysicam* docuisse ajunt *Orobium*, de *Cathedra Medicinae Hispalensi* tacent. Si vero *Medicinam* etiam *Hispani* exercuit, an ibi, et quae *Familia Burgundica Philippi IV?* Quid demum *Confiliarius Major* *Regis Franciae*, qui in altero mox *Codicis* *Titulo fol. 3.* in *Confiliarium ad honorem* abit? *Infirmo* sane talo stant ista. Ut vero etiam de *IV. Tractatibus* hic comprehensis post *Fabricium* et *Wolfium* aliquid dicam, *primus* ita fusius inscribitur: *Respuesta a un tratado que escriuio vn do&to Predicante de la Religion reformada, en que procuraua probar, que la esperança de Israel y obseruança de la diuina ley no tenia fundamento, y que la Christiana demostraua su verdad por los sagrados escritos.* Contra doctrinam de originali *La-be* praecipue dirigitur, et contra *Job. Calvinum* contendit, possibilem esse *divinae Legis* observationem. An *Praedicans* ille *Limburgius?* *Tractatus* in *II. Partes* abit.

Fol. 37. Explicacion Paraphrastica del Capitulo singuenta i tres de Isaias. In *Tabula* praevia additur: *conforme la uerdad Judai-*
ca.

1355

C O D I C E S

1356

ca. Continet praeter *Prologum VIII. Capita*, quibus potissimum nititur Hebraeus ostendere, ea, quae ibi apud *Isaiam* leguntur, *Messiae Christianorum* adplicari non posse.

Fol. 112. Explicacion Paraphrastica de las setenta Semanas de Daniel. Capitibus III. urgetur idem.

*Fol. 141. Epistola inuectiua contra un Philosopho medico, que dudaua, o no creia la uerdad de la diuina escritura, y pretendio encubrir su malicia con la afectada confession de Dios, y Ley de naturaleza. Paulo aliter in Tabula praevia: contra un Judio Philosopho Medico, que negaua la Ley de Moseh, i siendo ateysta afectaua la Ley de Naturaleza. Innuivus est hic *Basnagio Ben. Spinoza*; verum an is unquam Medicen professus? *Traetatus* hic post *Prologum* dividitur in quatuor *Discursus*, et horum quivis in *Capita*, quibus partim sacrarum *Literarum* divina origo et autoritas, partim *Legis oralis* (תורה שבעל פה) five *Traditionum*, quas non incongrue *Noster los Vallados* adpellat, necessitas propugnatur, *Talmud*que vindicatur. *Orobio* certe inter acutissimos, doctissimosque *Judaeorum* locum debere, extra dubium est.*

DCIII.

R. 622 Codex chartaceus hisp. Sec. XVIII. Folior. 158. 4. hunc praefert Titulum: *Verdad de la Lei de Moseh aclarada en dos*

*Dialogos. Interlocutores Andres Antonio, Obadia Ben Israel. En Maruecos. Año 5422. Foret hic annus Christi 1662. si toti huic instituto fides; verum ego Dialogos hos antichristianos in Hollandia potius ab Judaeo quodam ex Hispanis conscriptos autumo, unde et praesens Exemplar natum est; legitur enim in calce: Copiado por mi Jabacob Rephael Monis en Rotterdam año 1710. Dabo Argumentum Dramatis verbis Autoris: Vn Flamenco por nombre Andres Anttonio auiendo en Flandes entendido, que un hermano suo, llamado Bernardo Anttonio, se hauia hecho Judio, se determinò à uenir à Maruecos, donde residia, à buscarlo, y auiendo llegado se ua buscando por los fundagues, y tiendas de los Judios por ver, si lo puede ballar. El hermano, que ya se llamaua Obadia Ben Ysrael auiendo entendido (que) uenia Nave de Flandes, y en ella un manceuo, por señales, que le dieron, sospechò, que puede ser su hermano &c. Mutuo igitur se quaerentes conveniunt, sermonemque de religione conferunt, quo Christianus ita premitur, ut exclamet: *Verdaderamente, Señor hermano! yo confieso no saber que responder, petatque veniam recurrendi ad Sacerdotem christianum, qui diluat objecta. Atque hic finitur prior Dialogus. In altero respondet Judaeus ad Sacerdotis argumenta, remque eo deducit, ut Frater rursus ad Sacerdotem redire proponat, Obadias vero bonam spem concipiat illum penitus lucrandi.**

Qui-